THESES PHILOSOPHICAE,

Quas DEI Opt. Max. ductu & auſpiciis

Ad Diem 5. Kal. Auguſti,

EDINBURGI IN ÆDE SACRA AUSTRAL

Propugnabunt Adoleſcentes Magiſterii candidati, e
ACADEMIA IACOBI REGIS hac
vice cum laurea emittendi.

PRÆSIDE GVLIELMO REGIO.

BIBLIOTHECA BODLEIANA OXONIENSIS

EDI. I,

Excudebat Ioannes Wreittoun. 1628.

HEROI, GENERIS, VIRTVTIS, AC HONORIS CLARITATE JLLVSTRI IOAN. CAMPBELLO

DOMINO de LOWDOUN, *Vice-Comiti* AERENSI, &c.

A. M. C. S.

Romani arte non min[illegible] Marte Inclyti, (Nobilissime Domine) intertem[illegible] illius Relligionis cultui consecrarunt, [illegible] nune dedicarunt de [illegible]m, ὁμοναὺς καὶ ὁμωχέτ[illegible] [illegible]acris colentes; quo [illegible]ssimam Martis & [illegible] absque singulari [illegible]ntia, posteris comm[illegible] sine Thesei ali[illegible] aut Herculis Patr[illegible] [illegible]ndere gestiunt: [illegible] si vllis Philosoph[illegible] [illegible]a in aciem pro[illegible]is, Patrono vel [illegible] [illegible]it; nobis vel im[illegible]s, qui variis casi[illegible] [illegible] non viribus, sanè [illegible]ro imbelles evasimi[illegible] [illegible]usis præsertim) pe[illegible]tia lues in ipsis carce[illegible] [illegible]ico terrore percul[illegible] omnes plagas fugarit[illegible] [illegible] Academiæ bonis li[illegible] fraudem facientes, per [illegible] [illegible]illo numero residuo ple[illegible]e, vix tribus stipendiis [illegible] [illegible]aturos rude donaverunt. [illegible]ue fractis sic viribus, att[illegible] [illegible]copiis, decrevimus Herculeum

non

non minoris potentiæ, quàm literaturæ ac humanitatis Mœcenatem deligere ac diligere, qui instar Catonis præsentem Reipublicæ huius Philosophicæ statum imminui nõ patiatur. Nobis igitur hac animo versantibus, occurrebant quidem plurimi ad singula idonei, ad omnia Tu solus (Heros clarissime) qui adversus Zoilos murus sis aheneus, quid enĩ nobis initiatis & auspicatis cum illotis est? quid nos vana & tumida illorum somnia verbis verberemus? Qui divinam tuam indolem, & vividum ingenium, quo omnium virtutum flores decerpsisse videaris, qui heroicam stemmatis tui Nobilitatem penitius inspexerit, non facile pronunciabit clariorne virtute nobilitas, an virtus nobilitatis præsidijs auctior sit; æmula nobilitatis sic est virtus & virtutis nobilitas, vt non magis è nobilium stirpe quàm ad nobilitatem natus videare; nobilis splendore generis, non alterius vestigijs nixus sed tuo Marte & Minervâ, potentiam longè auctiorem reddidisti: quocirca virium tuarum Patrocinium ingenij nostri Tyrocinium requirit, vt hac quasi Pygmæorum ἀγροῖκια Colosso potentiæ & virtutis tuæ fulciantur. Divinis & stupendis pene animi dotibus ditavit te Dominus, quibus (vt eximias pietatis, magnanimitatis, sapientiæ virtutes taceamus) non tantùm æquales, sed & annis ac titulis superiores superas; quæque cùm domi tum foris, præsertim in nuperâ illâ ad Serenissimam Regis Maiestatem delegatione emicuerunt. Præterea Nobilissimorum natalium splendorem eruditione egregia decorasti, literaturam omnigenam, refertissmam scientiæ venam, imo doctrinæ & bonorum omnium Thassum intra Academiæ nostræ septa, condiscipulis quibuscunque, vt Hesperus inter sydera & inter ignes Luna minores, prælucens ostenderas. Quin & in publicum prodiens, non tantùm honorificâ præsentia candidatos ornasti, sed periculo facto, uberante doctrinæ luxurie & acumine, omnes in admirationem ad miraculum doctus adegisti. Platonem non invenit Philosophia nobilem, sed fecit; longè Tu fœlicior, quem virtus erudita & invenit nobilem & facit. Liceat igitur nobis votivam hanc tabellam, honori tuo appendere, quandoquidem gratiosum non minus & propitium, quàm potentem & literatum te expectamus Patronum; vt qui non tantùm communem habeas almam matrem Academiam cui Te ἀντιφιλαγγεῖν studere certò nobis persuademus, sed etiam eun-

dem nobiscum μνημόσυνον tui honoris semper studiosissimum, qui te & optimæ spei fratre minore discipulis gloriatur, Itaque si studiorum nostrorum primitias, & amoris nostri obsequentissimi offeramus pignora, non ἀφροδίτῃ ὑν τεθυκέναι, sed quas quondam ipse vices subijsti, eadem nos favore tuo & præsentiâ suffultos subire Te authorem futurum speramus. Quamvis erga frustra conemur ὑμῖν ἀθανάτου καὶ ὑμῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν, lividense tamen ac tenuis hoc filii munusculum gratum fore non dubitantes, honori tuo damus, dicamus: obnixè rogantes almæ matri Academiæ favere pergas, Deumque orantes, ut mentem & voluntatem tuam spiritu suo dirigat, consilijs & actionibus tuis benignus adsit, teque Patronum nostrum meritissimum ac potentissimum, potentia ac cœlesti dexterà protegat ac tueatur. Vale.

Tuo Honori devinctissimi, ac ad omne obsequium paratissimi.

Alexander Belschęus.
Alexander Cranstonus.
Alexander Somervallius.
Colinus à Fonte Gelido.
David Bishopus.
Gulielmus Buchananus.
Ioannes Brussius.
Joannes Galbrathius.
Joannes Jacksonus
Joannes Pringallus.
Robertus Davidsonus.
Robertus Iacksonus.
Robertus Narnus.
Robertus Ramisæus.

THESES LOGICAE.

I.

Quorum est idem obiectum formale, nôn sunt distincti habitus.

1. Logica docens & vtens sunt vnus idem q; habitus, ratione tantùm distinctus.

2. Cum identitate reali habitus, possunt consistere actiones diversæ.

3. Logicę usus activus est, non passivus.

4. Syllogismus factus in Physiologia à duplici habitu procedit, Logicę, & Physicæ.

5. Artes Mechanicæ duplicem facilitatem requirunt: At Logica non exposcit, nisi intellectus facilitatem, per quam singulares etiam operationes efficit.

6. Neç Logica docens, nec in usu posita, scientia est.

II. Particularia principia Logicæ, præsupponunt communia: & posteriora habent necessariam & intrinsecam connexionem & dependentiam ex prioribus.

1. Logica est unus specie habitus.

2. Una sola generatione generatur, postea verò genitus extenditur; multoque perfectior redditur.

2. Partes Logicę materialiter sunt diversæ, formaliter verò habent unitatem specificam.

3. Logicæ habitus perfectus omnium rerum Logicarum exactam cognitionem nobis prębet.

4. Longè differunt formæ homogeneæ ab heterogeneis, perfectę ab imperfectis.

III. In Petro idem reipsa est esse hominem, & hunc hominem.

1. Ergo nec unitates, formalis nimirum & numerica, sunt reipsa distinctæ.

2. Natura unitatem formalem, quam habet à parte rei, communicat individuis.

3. Hæc unitas non est indifferens, & multis communis, sed cuiq; individuo propria.

4. Ergo nec attributa essentialia sunt communia à parte rei omnibus individuis.

5. Natura vniversa à parte rei non est vna & communis positivè, imô nec negativè.

6 Non est formaliter vniversa, nisi quatenus habet esse obiectivè in intellectu.

7. Notio universi expressa, aut per species intelligibiles, aut per naturam illuminatam à phantasmatibus, secundum suum esse singularis est: secundum repręsentationem verò vel prędicationem, vniversalis.

7. Ergo neque extra Intellectum datur formaliter singulare.

8. In homine dormiente non est vniversale actu, sed tantùm habitu, repręsentatum habitualiter per speciem.

9. Ipsa natura vniversa est objectum intellectus, notio verò, solùm modus seu conditio obiecti.

IV. *Natura humana quæ est in Petro & Iohanne divisa est per differentias eorum individuales.*

1. Repugnat aliquid esse in Petro, quod non sit hoc numero.

2. Sicuti tot sunt in Petro vnitates formales ratione distinctę, quot sunt gradus naturę ejus, ita omnes sunt individuę.

3. Hinc est, quòd tantùm ratione distinctionis virtualis, quæ ex diversa radice provenit, potest intellectus percipere vnitatem formalem, non conceptâ numerali vnitate.

4. Singulis gradibus entitatis correspondent suę vnitates, non tamen distinctę, nisi per intellectum.

5. Non quęcunque non sunt distincta in aliquo, dicuntur in eo convenire.

V. *Universalitas est relatio rationis ad individua.*

1. Uni-

1. Vniversale non est nomen absolutum, sed respectivum.

2. Non fit vniversale Logicum actu & formaliter, nisi per comparationem naturę ad individua.

3. Natura repręsentata in specie intelligibili, est vna tantùm vnitate negativâ.

4. Universale in potentia est actu intelligibile.

5. Cumque fiat vniversale per simplicem mentis operationem, non compositam; natura prius est universalis, quàm actu prędicetur.

6. Judicium intellectus, quo cognoscit naturam esse in individuis, non est formale & expressum; sed solùm virtuale.

VI. Modi prædicandi, non solum fundantur, in modis essendi, abstractè & absque singularitate; sed etiam in modis inexistendi in alio vniversaliter.

1. Etsi duo tantùm sint vniversalia in essendo, quinque tamen sunt in prædicando.

VII. Negatio non est de essentia & ratione entis positivi.

1. Non includi in vltimis differentiis, non est de ratione generis.

2. Consequitur tantùm, veluti proprietas, ejus naturam & essentiam.

VIII. Respectus oppositi, non possunt eidem sub eâdem ratione formali convenire.

1. Nec species vniversalis est subjicibilis; nec, vt subiicibilis, est vniversalis.

2. Respectus subjicibilitatis accidentalis est.

3. Homo & Leo, vt species subjicibiles, non sunt animalia.

4. Nec species subjicibilis qua talis, est singularis.

5. Ergo datur medium inter vniversale & singulare.

IX. In rebus materialibus prima radix totius potentialitatis est materia; vt actualitatis forma.

1. Etsi in iis genus & differentia, sumantur formaliter

à tota natura concepta sub gradu imperfecto, vel perfecto; radicaliter tamen genus à materia, differentia à forma sumitur.

2. Quin & in spiritualibus, genus sumitur ab aliquo habente similitudinem materię, nempe à natura concepta sub gradu magis remoto ab existentiâ actuali; differentia verò ab aliquo habente similitudinem formę, nempe à natura sub gradu proximo eidem actuali existentiæ.

X. *Genus se habet vt potentia determinabilis, differentia vt actus determinans.*

1. Licet genus dicat determinatum gradum naturæ, indeterminatè tamen & quasi confusè eum includit; differentia verò modo determinato & distincto.

2. Omnis differentia elevat genus ad altiorem gradum essendi, vel saltem perfectiorem modum essendi actualem & determinatum.

3. Omnis differentia est nobilior suo genere.

4. Ergo & species genere nobilior erit.

3. Perfectior est gradus sentiendi in animalibus etiam imperfectissimis, quam in genere animalis.

5. Principia non sunt semper nobiliora principiatis.

XI. *Species est tantùm πως πλειω secundum rationem virtualem qua á multis participatur.*

1. Proprium non est vniversale respectu solius speciei, sed in ordine ad individua, vt participant speciei rationem.

XII. *Omnia individua habent inter se proportionem quandam in ratione individuali, propter quam potest ab illis abstrahi unus conceptus Analogicus individui in communi.*

1. Jndiuidua sunt similis prorsus perfectionis essentialis, ejusdemque essentię affectiones habent.

2. Diversitas, si vlla sit; provenit ratione alicujus dispositionis materialis, quæ accidentalis est illi individuo.

XIII. *Proprietates fluunt à natura subjecti.*

1. Quum

1. Quum non oriantur per verum motum Physicum; saltē per quandam simplicem resultantiam & emanationem.

2. Substantia potest esse immediatum principium actionis Metaphysicæ, etsi non Physicæ.

3. Ab essentia subjecti actu vna, multiplici secundum virtutem, varię proprietates prodire possunt.

4. Subjectum est solùm potentia purè receptiva suarum proprietatum, non receptiva & passiva simul.

XIV. *Accidens cum sit universale tantùm habet esse objectivè in intellectu.*

Hęc est prędicatio falsa & in materia impossibili; hęc albedo est accidens, sicuti & hæc, est per accidens, quantitas est accidens

XV. *Concretum significat naturam confusè saltem & in potentia continens conditiones singulares, abstractum eandem, vt à singularibus omnino præcisam.*

1. Abstracta significat naturam per modum partis, Concreta per modum totius.

2. Abstracta non sunt genera & species, sed eorū principia.

3. Humanitas est animalitas falsa est, hęc vera, homo est animal.

4. Non sufficit ad veritatem propositionis, quod attributum includatur in subjecto.

5, Hæc prædicatio, anima rationalis est sensitiva, est concreti de concreto, vt & hęc, Albedo est color.

6. Abstracta accidentium, solùm vocantur abstracta in ordine Physico, non Metaphysico.

XVJ. *Actionis & Passionis rationes formales in eodem motu reali reperiuntur.*

1, Non est distinctio realis inter prædicamenta.

2. Nec sunt primo diversa secundum entitates reales.

XVII, *Substantiæ creatæ in hac substantiali perfectione conveniunt, quod per se existant, sine dependentia tam à subiecto quam omni alio complente rationem substantiæ.*

1. Substantia sic sumpta omnibus vnivocè convenit.

2. Hic gradus substantiæ vnivocus, nec spiritualis est, nec corporeus: nec ex se simplex, nec compositus.

3. Jnter simplex & compositum non datur medium in re, datur tamen in intellectu.

XVIIJ. *Numerus à nobis concipitur, vt essentialiter constitutus per vltimam unitatem, tanquam per formam, & actum essentialem aliarum vnitatum.*

1. Hujus conceptus fundamentum est in ipsa natura partium, quæ talis est, vt sit vnibilis in unam essentiam.

2. Numerus, vt est à parte rei, dicit multas res quantas, vt à nobis concipitur, est vna essentia, & vna quantitas.

3. Unitates numeri secundum terminos quantitativos sunt divisę, per conceptum tamen intellectus fiunt indivisæ, & vnum essentiale; ac licet sint separatæ separatione continui, sunt tamen vnitæ vnione discreti.

4. Non est eadem vnitas, nec idem vnius modus in omnibus prædicamentalibus.

5. Quæ in vno genere sunt entia per accidens, in alio sunt entia per se.

XIX. *Tempus est continua duratio, habens partes priores & posteriores copulatas communi termino τῷ νῦν.*

1. Habet propriam & intrinsecam extensionem à motu, mobili, & spatio distinctam,

2. Dependet à causa efficiente motum, non tanquam causa, sed causatione.

3. Philosophus 5 Metaphys. numerat tempus inter quanta per accidens, quia non habet extensionem omnimò absolutam, sed in ordine ad aliud, nempe motum.

XX. *Officium copulandi partes est reale & positivum.*

1. Jndivisibilitas puncti est modus positivus, quo copulantur partes lineæ, licet ad eum sequatur negatio continuitatis & divisionis.

2. Punctus est ens reale positivum.

XXI. Genus quantitativæ extensionis dicit aliquid intrinsecum & formale.

1. Denominatio extrinseca non potest esse novus gradus perfectionis.

2. Locus formaliter à superficie non distinguitur.

3. Non quæcunque distinguntur ratione mensuræ, sunt distinctæ species quantitatis,

22. *Linea, superficies, corpus, sunt diversæ species disiunctæ per positivã extensionẽ, secundum propriã extensionis rationem.*

App. Pro formali dicunt vnam tantùm extensionem, alias de materiali.

23. *Cum efficiens relationis sit extrinseca, à finali, seu ordinatione ad talem terminum sumit distinctionem specificam.*

1. Terminus est extrinsecum, ordinatio verò ad illum quid intrinsecum.

2. A fundamentis sumuntur species relationum, quasi causaliter, à terminis formaliter.

XXIV. *Corpus album non simile, per productionem novi albi fit simile.*

1. Acquirit formam realem relativam.

2. Relatio est res à fundamento distincta, si non distinctione rei, saltem modi.

3. Nova entitas realis potest acquiri sine subjecti per mutatione propria.

4. Relatio non de novo oritur per actionem ad se terminatam primò & per se, sed secundariò & quasi ex consequenti.

XXV. *Ex distinctione objecti in esse scibilis, sumenda est scientiarum distinctio.*

1. Obiectum in esse scibilis est prius scientia.

2. Licet denominatio scibilis actualis, & relativa à scientia sumatur, virtualem tamen & quasi radicalem à

pro-

propria natura habet.

XXVI. *Tria sunt verbi munera: significare, adsignificare, & consignificare.*

1. In omni propositione verbum, est, significat existentiam, & adsignificat tempus.

2. Essentiale etiam est verbo, vnire extrema consignificando tempus, at ea vnire pro tempore significato est tantùm accidentale.

3. Propositiones essentiales, licet semper formentur sub aliqua temporis differentia: ad nullam tamen certam determinantur.

4. Non repugnat verbo semper significare tempus, aliquando tamen absolvi à tempore.

XXVII. *Conceptus complexam veritatem non habent, nisi suppositâ ordinatione intellectus & constitutione eorum in ratione subjecti & pradicati.*

Non solùm enunciatio vocalis & scripta, sed etiam mentalis est formaliter ens rationis.

XXVIII. *Intellectus nequit efficere propositionem identicam, nisi distinguendo ea quæ à parte rei non sunt distincta.*

1. Ergo per plures conceptus intelligit, & eorum vnum alteri attribuit.

2. Enunciatio non est vnus simplex conceptus.

3. Phantasia & intellectus possunt ex duplici conceptu simplici, diverso, elicere tertium etiam simplicem, repræsentantem plura per modum simplicis expressionis; sed non per attributionem & compositionẽ vnius cum altero.

XXIX. *Causa libera liberè se determinat ad operandum.*

1. Dum operatur, non necessariò, sed liberè & contingenter operatur.

2. Ipsa operatio, aut affectus etiam dum fit, vel præsens est, habet esse contingens simpliciter.

3. Erit tamen necessarium ab extrinseco, ex determ-

na-

natione temporis.

XXX. *Omnis actio est re aliter idem cum suo termino.*

1. Ergo & Jllatio cum conclusione.

2. Iudicium Jllativum non est realiter à conclusione distin ctum.

3. Judicium Jllativum, in se est simplex actus; licet supponit plures, qui se habent, vt ipsius materia.

XXXI. *Jllatio specificatur à formali ratione concludendi.*

1. Præter Syllogismum, dantur aliæ species argu mentationis, essentialiter inter se, & à Syllogismo distinctæ.

2. Est per accidens, quod Jnductio & Enthymema ad Syllogismum reducantur.

XXXII. *Rectum per se convenit lineæ, & par numero.*

1. Potest esse propositio καθ' αυτο, quę non est κατα παντος.

2. Formales rationes καθ' αυτο & κατα παντος sunt diversæ, nec omnis Propositio, καθ' αυτο est demonstrativa.

XXXIII. *Ex objecto quod percipitur, & formali ratione illud percipiendi constituitur, vnum objectum totale & completum, tanquam ex quo, & quod.*

1. Intellectus eodē actu feruntur in conclusiones & principia.

2. Assensus principiorum non solùm præsupponitur, sed etiam formaliter includitur in assensu conclusionis, tanquam terminus dependentię essentialis huius assensus ab illo.

3. Notitia conclusionis, fit ex præexistenti notitia præmissarum, præsuppositа ut (quod) sed inclusa ut (quo).

4. Differentia specifica vel numerica, non tollit modum inclusionis, tanquam extrinsecum.

5. Nec hinc sequitur, per actum & habitum scientiæ intellectum assentiri principiis.

XXXIV. *Assensus principiorum, est quasi semen, à quo pullulant conclusionum germina.*

1. Assensus conclusionis eodem instanti sequitur, ex assensibus præmissarum.

2. Hi assensus se habent ad modum vnius.

3. Error etiam radicatus non impediet assensum conclusionis, nec habitum scientię qui per illum producitur: sed simul cum eo permanebit, quovsque, multiplicatis demonstrationibus, omnino expellatur.

4. Non repugnat habitus contrarios remissos, simul permanere in eodem subjecto.

XXXV. *Intellectus non est potentia purè naturalis, sed subjicitur imperio voluntatis, quantum ad applicationem eius ad operandum.*

1. Non necessitatur intellectus ad operandum circa particulare verum.

2. Habito assensu principiorum, convincitur intellectus ad assentiendum conclusioni; qùantum ad specificationem actus, sed non qùantum ad exercitium.

THESES PHYSICAE.

I.

INtellectus, quamdiu est in corpore, nihil cognoscit, nisi per sensum.

1. Per se sola corporea intelligit, spiritualia per species corporum.

2. Adæquatum & proprium ejus subjectum est corpus.

3. Fortius & prius movent sensum accidentia corporis, quam specialia accidentia: ac prius singulare corporis à sensu percipitur, quam singularia speciei infimæ.

4. Prius saltem natura vel tempore brevissimo, cognoscet vniversalius prędicatum, quam speciem atomam.

5. Sicuti cognitione actuali distinctâ vniversaliora sunt nobis notiora; potentiali verò distinctâ, minus vniversalia: Ita actuali confusâ, primum cognitum ab intellectu est vniversalius prędicatum corporis.

6. Spe-

6 Species infima non est propinquior sensibus.

7. Causa naturalis non impedita, non statim producit effectum quem potest perfectissimum.

II. Sicuti per se agere præsupponit necessariò existentiam Agentis; ita per se pati, existentiam passi.

1. Materia habebit actum substantialem, n. existentiam.

2. Nihilominùs tamen, vel non componitur ex potentia & actu; vel compositio non essentialis, sed substantialis est.

3. Hęc compositio non tollit simplicitatem essentialem materiæ; nec quin essentialiter sit pura potentia, & primum principium materiale.

III. Potentiam naturaliter sequitur inclinatio & propensio, in quibus consistit formalis ratio appetitus.

1. Materia non solùm habet appetitum ad formam sub communi ratione amissibilis, sed etiam ad quascunque in particulari.

2. Illam respicit primariò & adęquatè, has secundariò, & inadęquatè.

3. Desiderium præsupponit carentiam boni non habiti, vel primariam & adæquatam; vel secundariam & inadæquatam.

4. Quumque appetitus materiæ fundetur in ejus potentia, æqualiter omnes formas respicit.

5. Quin-etiam verè & propriè appetit formas, quas amisit.

6. Impossibilitas naturalis eas iterum recipiendi, provenit ab extrinseco, non intrinseco.

IV. Motus vel mutatio, est via inter duos terminos, à quo & ad quem, ita vt ab illo recedat, & ad hunc accedat.

1. Non potest sine vtroq; esse, nec intelligi.

2. Uterq; dicetur ei intrinsecus.

3. Privatio est principium

1 Primum esse mobilis in termino ad quem, est primum non esse motus.

2. Motus non recipitur in termino ad quem, sed rea-

intrinsecum & per se, generationis naturalis.

4. Non ens potest esse principium entis.

liter est in mobili, vt subjecto.

3. Motus localis per se terminatur ad vbi, non ad locum, nisi ex consequenti.

V. Natura est ipsius rei substantia, ars accidens superadditum.

1. Natura est principium motus activum, vel saltem passivum; ars tantum directivum.

2 Ars non potest efficere opera naturę, propriâ virtute tanquam causa per se: sed solùm tanquam causa sine quâ non, applicando activa passivis.

VI. Finis verè impossibilis, apprehensus tanquam possibilis; movet voluntatem ad veros actus reales & physicos.

1. Ad essentiam causalitatis finis, sufficit bonitas realis apprehensa, licet ad terminationem requiritur vera.

2. Finis non existens nec possibilis, essentialiter causat.

3. Motio finis ejusque causalitas, non est intelligenda ad modum causarum modo materiali causantium.

VII. Natura intendit producere effectum secundum omnem perfectionem debitam suæ speciei.

1. Non potest monstrum per se à naturâ intendi, primariâ intensione, licet secundariâ,

2. Diversâ ratione est effectum per se, & etiam casualis.

VIII. Locus est essentialiter immobilis.

1. Non est immobilis per accidens, nec sufficit esse immobilem per æquivalentiam.

2. Cùm superficies passim varietur, non in solâ superficie consistit ratio loci.

3. Præter superficiem, includit respectum præsentiæ ad spatium verum, vel imaginarium; & distantiæ ad partes mundi fixas, nempe, centrum & polos.

4. Locus sic sumptus immobilis est, nec variari potest; sed quocunque variato, variatur.

5. Mu-

5. Mutata superficie non mutatur locus Turris, sed desinit esse, & ei succedit alter.

6. Turris habet diversa loca, non quæ ipsa mutet; sed quæ circa eam succedunt.

IX. *Locus est vltima superficies corporis continentis.*

1. Suprema sphæra nullo modo est in loco actu, sed potentiâ.

2. Non specificatur á centro terræ, vt loco in quo, sed puncto circa quod.

3. Quod non est actu in loco, potest actu moveri.

4. Distinguendum inter motum Rectum & Circularem.

5. Tota sphera, nec locum, nec situm, nec præsentiam, imo nec vbi mutat, nisi solum secundùm modum se habendi: at partes mutant situ, præsentiâ & vbi partiale.

6. Motus partium, quasi mixtus est ex recto & circulari; totius verò purè circularis est.

X. *Deus & Angeli, ut materia & corporis, ita loci omnis sunt expertes.*

Cœlum Deo & beatis mentibus sedes attribuitur, triplici Analogiâ durationis, situs, & lucis.

XI. *Mundus hic sensibilis, omnes rerum creatarum gradus, horum omnium genera, species, & individua continet.*

1. Nihil vspiam est, quod Mundus sive primâ sui fabricatione, sive successivæ durationis ambitu continere jure non dicatur.

2. Omnium tamen rerum creatarum formas in se continet, non vnitate essentiæ conjunctas; sed varietate multitudinis diversas: nempe, extensione & divisione loci, temporis successione, mutuâque qualitatum repugnantia.

XII. *Sicuti Cœlum est sublime, lucidum, ἀγήρατον καὶ ἀφθαρτον, καὶ ἀναλλοίωτον. solidum sui plenum, ita etiam simplex est & impermistum, nulla impurioris corporis contagione affectum.*

Appen. Dum Philosophus 4. 1. Meteor. puritatis & sin-

ſinceritatis gradus quoſdam in Cœlo agnoſcit, perfectiores in ſuperioribus, imperfectiores quà cum inferiori mundo copulatur; id non ad ſubſtantiam & naturam, ſed affectuum & effectuum varietatem referendum eſt, quos meliori potiorique modo exiſtere in ſuperioribus, tanquam principiis ſecundis, credere par eſt.

XIJ. Elementa, quæ concretis corporibus materiam omnium figurarum capacem præſtant, nullam ſibi naturalem aut propriam obtinere debent.

1. Meritò Philoſophus, non cuique ſuam ab aliis differentem, ſed vnam circularem omnibus communem tributã vult; cum vt ſuis locis ſeſe facilius accommodarent, tùm vt naturę ſuæ vnitatem, quę in globo excellentius conſervatur, perfectius retinerent.

2. Perperam Plato Pythagoræos ſequutus, igni pyramidem aeri octaedron, aquæ Icoſaedron, terrę cubum tanquam propriam figuram aſſignavit.

XIV Orbium cæleſtium contiguas ſuperficies, levore, quãtum natura efficere potuit, perfectiſſimo expolitas, omnes intelligunt.

1. Qua alter alterum ſecum promoveat aut retardet, nulla omnino eſt extremitatum contiguarum inęqualitas, quę mutuam attritionem pariat.

2. Non moventur per contactum, ſed à ſua quiſque Intelligentia aſſiſtente.

3. Prima movet ſuum orbem ſolâ ſui intellectione, citeriores verò mentes gemina movent intellectione, vna ſui, qua ſuos rotant orbes: altera cum intelligunt primam, quâ cum hac vnum fiunt per præſentiam intellectionis, quaſi irradiationẽ mutuam; vt illius imitentur & ſequantur converſionem.

4. Longè falluntur, qui orbium cœleſtium converſionem ex ſola ſuperficierum attritione, quam mutatio contactus efficiat, fieri autumant.

XV. *Cœlum non affectu & formaliter, sed effectu calidum est*

1. Raritas & densitas, quæ Cœlo insunt, non sunt secũdę qualitates, sed alia suæ originis primordia vendicant.

2. Non necesse est, quemcunq; effectũ raritas & densitas in sublunari mundo pariunt; eundē in orbe cœlesti edant.

XVI. *Raritas fit, nulla re de novo accidente. 4. Phys. 9. context. 84.*

1. Quod secundum se totum rarefit, omnes ejus particulæ, quantumvis exiguæ, extensiores fiunt.

2. Est magis perfecta quantitas tantum accessu novæ perfectionis & modi.

3. Eadē quātitas sub novo modo redditur quātitas major.

5. Non omne quantitatis incrementum, fit appulsu novæ quantitatis.

5. Nec rarefactione acquiruntur nova puncta, sed quæ prius inerant, denuò respondent alijs, quibus antea non respondebant.

6. Non est absurdum tot esse puncta in minore, quot in majore quantitate.

XVII. *Sicuti nutritione reparari oportet ex alimento, quod nativi caloris pastu absumptum est; ita quamdiu plus reponitur quàm depastum est, augentur corpora: cum tantundem, consistunt in perfectione æquabili: cum minus, senescunt ac diminuuntur.*

1. Tres tantùm viventium ætates agnoscit Philosophus 12. 3. de anima; ex triplici nutritionis differentia distinctas.

2. Hæc tamen ætatum discrimina; non in omnibus aut singulis, vel periodo pari vel simili modo & tenore definiuntur: sed ex constitutionis, sexus, regionis, Cœli, solique situs, victus, temperamenti, & aliarum plurium circumstantiarum varietate subinde mutantur.

XVIII. *Ad organorum & dissimilarium partium, ex quibus animal integratur, varietatem constituendam, eorumque munia obeunda; sufficit una forma totius cum diverso temperamento, situ & figura.*

1. Par-

1. Partes hæ accidẽtarias solũ definitiones diversas habẽt.

2. Non semper ex actionibus specie distinctis, arguuntur formę specie distinctæ.

XX *Ventriculum membraneum & nervosum esse oportuit, facilis distensionis & coarctationis, ut pro cibi quantitate porrigi & coarctari possit.*

1, Proprio calore non admodùm abundat, quamvis membrorum calentium vicinitate, ejus concoctioni commodè sit provisum.

2. Alimentum in stomacho à majoribus recrementis, in jecore à minore fęce purgatur.

3. Facultas naturalis quoad vim sanguinis conficiendi residet in jecore.

XX. Το ἔθος μετακινῆσαι χαλεπὸν, ὅτι τῇ φύσει ἐοίκεν. 10.7. *Eth. Consuetudo, à* Galeno *lib. 2. de motu musculorum, natura adventitia vocatur: & ut in cæteris fere rebus, ita in ratione victus, & alimenti miram vim habet, in lib. de assuetuà.* Idem *testatur* Hippocrates 2. *de rat. vict. acutorum. Præsertim cum Alimentum agat in ventriculum, ipsum suis qualitatibus afficiat, & ex parte sibi similem reddat.*

1. Quoniam a simili non fit læsio, postquam longo usu & assuetudine ventriculus cum his aut illis cibis, aut etiam cum veneno, affectionum convenientiam cognationemque obtinuit; simul consequutus est, vt ab his aliòqui naturâ suâ contrariis & noxiis non læderetur.

2. Hinc Mithridates hausto bis veneno interire non potuit Gal. lib. de theriaca ad Pis. 29. lib. 1. de Antidot. 1. & 2. 52.

XXI. De ventriculi nutritione dissentientes audio Medicos, an chylo alatur vel sanguine, inquit. Andreas Laurentius. 20. 6. Avicenna *exteriorem tunicam sanguine, interiorem chylo nutriri putat.* Zoar. *superiorem partem nervosiorem chylo, inferiorem carnosiorẽ sanguinè ali scribit.* Valesius *idem affirmat. Quin & ex Neotericis docti quidam,* Thomas Ueiga *&* Lauren-

rentius Jobertus, *tenuiore chyli portione ali ventriculum multis rationibus contendunt, imo & ipse* Andreas *ex* Galeno *nutritionem ventriculi ex chylo, si non perfectam, saltem imperfectam illius æmulam, agnoscit.*

Ringant igitur, disrumpantur æstuent quidam, licet i dato, quod ventriculus aliquam chyli portionem vendicet, & in propriam substantiã convertat; postea tamen ex sanguine ab hepate trãsmisso vberiorẽ nutritionẽ capit: & si vllus hic error est, (certe hæresis non est) errauimus cũ Medicis.

XXIII. *Tota latitudo primarũ qualitatũ in subjecto est expleta.*

1. Qualitas passiva quę elementis infra summum gradũ convenit, contrariæ permixta est.

2. Natura corporis simplicis, non arguitur ex simplicitate qualitatum.

3. Non quævis qualitatũ convenientia efficit symbolica.

3. Hæc tertia qualitas, nec ad reciprocam elementorum actionem, nec naturalem locorum ordinem exigitur.

XXIV. *Species intentionales sunt à natura insitæ, tantùm vt sint principia cognoscendi.*

1. Non habent vim producendi qualitates reales.

2. Actio, qua corpus per antiperistasin movetur ad qualitatẽ sibi naturalẽ, non fit ministerio specierũ intentionaliũ.

3. Proxime est à formâ substantiali ipsius corporis, remotè à generante,

4. Actio per Antiperistasin non propriè est reflexa, licet modum quendam reflexionis habeat.

XXV. *Genera Animarum ex solis essentialibus, gradus verò ex ordine ad subiecta n. Animata, potentiæ denique à diversis modis operandi desumuntur.*

Tria sunt genera Animarum, quatuor gradus animatorum, & quinque genera potentiarum.

XXVI. *Omnes partes corporis exercet aliquã operationẽ vitalẽ.*

1. Anima quæcunque informat omnes partes corporis

2. Est in qualibet parte secundum essentiam, etsi non secundum omnes partes integrantes, nec omnes potentias.

3. Intellectus & voluntas sunt in singulis partibus, etsi non adæquatè & immediatè mediâ saltem animâ, quæ habet præsentiam adæquatam in toto corpore per informationem, inadæquatam in singulis ejus partibus.

4. Non est absurdum animam esse in pluribus locis partialibus & inadæquatis.

5. Ratione præsentiæ partialis quam habet adæquatam in toto spatio, & inadæquatam in singulis partibus; potest simul moveri contrariis motibus, & etiam moveri & quiescere inadæquatè.

XXVI. *Impossibile est, Spiritum quasi recto tramite egressum ab oculo, & eodem modo ad illum reversum objectum à tergo videntis positum tangere.*

1. Ergo vnitur per speciem ab eodem objecto egressam, & in speculo reflexam, ac per reflexionem producentem aliam in eâdem potentiâ.

2. Visio fit per receptionem speciei emissę ab objecto in potentiâ, qua media vnitur objectum potentię, a quibus sic vnitis per modum vnius principii elicitur visio propria.

3. Objecta in majori distantia, imperfectiorem producunt speciẽ, ac impetfectius movent potentiam; ita vt appareant partes, & consequenter totum, habere minorem extensionem quàm reverâ habent.

THESES ETHICAE.

I.

BOnum est objectum appetitus, & vnumquodque eatenus appetitur, quatenus est vel putatur conveniens.

1. Bonum qua bonum, ex sua formali ratione significat relationem convenientiæ.

2. Definiendum erit bonum quod cuique est conveniens, quam convenientiam sequitur appetibilitas, vt propria affectio.

3. Definitio Aristotelis non à priori, sed à posteriori tradita est.

4. Homines non appetunt mala, nisi vt induunt rationem boni: nec spectat ad libertatem voluntatis, vt possit tendere in malum qua malum, alioq; posset vagari extra metas sui obiecti.

5. Dum libertatem suam hac in re experiri vult, vult malum sub ratione boni iucundi, seu quatenus ab experientia libertatis delectabile est.

6. Qui inimicis optant mala, ea optant vt media, ad capiendam vindictam, aut talem finem obtinendum, à quo obiectum aliquam boni similitudinem mutuatur.

7. Bonum igitur divisum in honestum vtile & iucundum, non minus latè patet, quàm volibile seu appetibile.

II. Quum bonum habeat vim alliciendi appetitum, vendicabit etiam rationem finis.

Appen. Etsi bonum & finis non sint idem formaliter, sunt tamen idem quoad fundamenti reciprocationem, si non actu, saltem potestate.

III. Finis est omnium causarum prima, & nisi moveat nulla erit efficientis motio.

1. Omnia agentia agunt propter finem, ad quem, vel seipsa dirigunt, vel ab authore naturæ diriguntur.

2. Magis specialiter agere propter finem, dirigendo se ad illum, est proprium intellectualis naturæ.

JV. *In moventibus per se ordinariis, quorum vnum ab alio pendet in causando; necessariò deveniendum est ad aliquod primum.*

1. In finibus etiam consistendum in aliquo vltimo.

2. Omnium hominum actiones in summum bonum tendunt, licet ad ipsum eas actu explicito non dirigant.

V. Ὁ ἔπαινος τῆς ἀρετῆς, τὰ δὲ ἐγκώμια τῶν ἐργῶν. 12. 1. *Ethic.*

1. Honor non est prœmium virtutis.

2. Sicuti nec puer, nec improbus; ita nec artifex vllus honorat, aut honorandus est.

VI. Ἀδύνατον, ἢ οὐ ῥάδιον τὰ καλὰ πράττειν, ἀχορήγητον ὄντα. 8. 1. *Ethic.*

1. Bona naturæ & fortunæ, sunt necessaria pro perfectá fælicitate hujus vitæ assequenda, conservanda & illustranda.

2. Non est absurdum, fælicitatem quoad perfectionem accidentariam, pendere aliquo modo à fortuitis eventibus.

VII. Rebus naturalibus corruptioni obnoxiis, non solùm convenit vis ad consectanda sibi convenientia, & fugienda aduersa, sed etiam ad resistendum contrariis.

1. Duplex erit vis sensitiva appetens Concupiscibilis & Irascibilis.

2. *Illa* tendit in bonum sensibile absolutè, hęc in illud quatenus difficile & arduum.

3. Sunt duæ potentiæ realiter distinctæ.

4. Ira constat ex tristitia, non vt parte componente, sed quia ex illa nascitur vt efficiente, sicuti odium dicitur ira inveterata in sensu causali.

5. Ex appetitibus concupiscibilis, oriuntur perturbationes irascibilis quæ tamen absolutè præstantior est concupiscibili.

6. Opitulatur irascibili cupiditati, auxilio regio, non seruili.

VIIJ. Quando causæ sunt ejusdem rationis & speciei, si intensior potest effectum producere, etiam & remissior, modo resistentia patientis non superet agentis actiuitatem.

1. Per quemlibet actum moralem bonum, etiam remissum, potest gigni habitus virtutis moralis; nisi ex parte subjecti sit aliquod impedimentum.

JX. *Homo est ζῶον πολιτικὸν natum uiuere in cœtu & congressibus hominum, præsertim amicorum.*

1. Dum

THESES PHYSICAE.

1. Dum caret amicis destitutus est postrema perfectione, ad quam per naturam non depravatam facilis est.

2. Vir amicis destitutus, non omni ex parte felix est.

3. Dilectio amici & honesta actio respiciens amicum, est portio quædã felicitatis civilis

4. At Vir probus non eget amicis ad formandam suam probitatem, sed ejus vsum.

3. Felicitas Theorica eget amicis, tanquã connexo & consequente.

4. Est sibi satis pro attinentib⁹ ad essentiã, at non pro cõnexis & consequẽtibus.

THESES ASTRONOMICAE.

I.

AQuas in prima creatione totam undique terram coopertuisse notum est, quousque Dei opificis imperio congregatæ sunt in unum locum.

1. Causam in genere efficientis, sed primam & universalem, aquarum in unum locum concedentium, & intra suos limites sese continentium; æterni opificis verbo ac præcepto iure optimo ascribimus.

2. Non tamen hic necesse est perpetuum miraculum agnoscere, quasi citra particularis cáusæ ministerium & concursum, immensa illa aquę moles solâ virtute divinâ intra suos limites coerceatur.

3. Causis igitur secundis, veluti repagulis, etiam in primæva illa separatione coercitæ sunt aquę, ne universam terram inundarent.

4. Quæ repagula qui posuit, cũ voluit, uti potuit in Noe cata clysmo dimovit, aut invertit: deinceps non tollet ex pacto.

II. *Ex* Ptolomęi *calculo, totius globi convexa superficies est*, 161079545. *millium passuum quadratorum: Et si continentem*

tem Europæ, Asiæ & Africæ *penes longitudinem & latitudinem in se ductas dimetiamur; erit* 57660000 *milliarium quadratorum*, America *pari modo àimensa, dabit* 26754240 *mille passus quadratos.*

1. Si terrarum hodiernis navigationibus quaquaversum exploratarum, mensuram, quanquam rudiorem ineamus: Eamq; ex totius globi, terræ & aquæ, dimensa superficie deducamus, facili coniectura assequemur, minorem illius portionem aquis tegi, vt terrarum quam aquarum superficies maior sit 7748935 passuum quadratorum millibus.

II. Ptolomæus Solem. 170. *Terra maiorem esse vult*, *Regiomontanus* 166. Copernicus 162. Rheinoldus. 167. Tychon Brachæus 140.

1. Hanc sententiarum varietatem peperit diversa Solaris à terrestri globo distantiæ mensura, singulis vsurpata: ex qua diametrorum ratio inquisita, cubicè ducta analogiam ipsorum corporum dedit: variam autem distantiæ mensuram parallaxium Solarium discrimen induxit; & defectuum Lunarium incerta obseruatio: in quibus vmbræ terrenę in loco transitus Lunæ, longitudo, ac latitudo, non citra summam difficultatem & erroris suspitionem obseruari ac inquiri solet.

2. Errarunt Veteres, sive crassiunculâ tantum coniectatione ducti, sive obseruationum errore lapsi, dum Solem plus quam millies terra maiorem statuerunt.

IV. Saturnus subiectum aerem imbecilliori lumine malignius illustrat, *Iovis verò illustrius lumen aerem candore inficit*, *Mars denique validiori radio aerem opacum illuminat.*

1. Sicuti Veneri fulgidum colorem ex luminis copia & Mercurio varium ascribunt Astronomi, ex luminis ni mia imbecillitate: ita Saturno lividum Jovi clarum, Martiigneum seu rubescentem.

2. Hos colores insitos & innatos non obtinent, sed in opaco

opaco aere ex admistâ luminis qualitate intensiore aut remissiore, obiiciunt oculis.

V. Veteres Astronomi ex Diametris maximarum fixarum ad Solis diametrum comparatis, illarum quamlibet huius vicesimam portionem esse rudius collegerunt.

1. Hinc pro ratione distantiæ earum à terrâ, hac 107 maiorem esse existimarunt, & reliquarum deinceps differentiarum magnitudines, successivâ deductione sextæ partis, per singulas classes determinarunt: adeo vt minima stellarum fixarum octodecies terra maior sit.

2. Longè accuratius Tychon, constituta primum inerrantium certa á terris distantia, singularum classium visiles diametros instrumentis exploravit: tum ex illius ad octavi orbis circumferentiam, terræ semidiametris dimensam analogia, singulorum orbium magnitudines collegit, & primæ classis stellas 68. tantum terra maiores, minimis vero terram ter maiorem esse vult.

VJ. *Motuum localium soli rectus & circularis, sunt simplices.*

1. Motus qui fit per Helicen, non est simplex.

2. Non omnis corporis naturalis simplicis, motus simplex est.

VJJ. Extimum Cælum perpetua ac uniformi conversione in se revolvitur, non se toto sed per partes, quæ non in loco sed toto moventur.

1. Nulla pars cœli hoc modo immobilis est.

2. Non vere, sed Geometricè & abstractione mathematica, poli quiescere dicuntur: vt & reliqua cœli puncta præter polos, circulos describere.

VJJ. *Demonstrant Mathematici in sphæra rectâ, sub parallelis ab Æquatore semotioribus longiora, in vicinioribus breviora crepuscula fieri.*

2. Necesse est in Æquatore minima, in Tropicis maxima contingere.

2. Quanquam ſub æquatore perpetuum ſit æquinoctium, ſi non verum, ſaltem vulgare; inæqualia tamen ſemper ſunt crepuſcula, nec ea tamen magna.

3. Maximum quod ſit, Sole in Tropicis poſito, eſt vnius horæ 19. minut. Minimum in ipſo æquatore unius horę 12. ita vt toto anno vix 7. increſcant aut diminuantur.

JX. *Ortus Heliacus, eſt prima cuiuſq; ſideris è radiis Solaribus poſt ſynodum emerſio; occaſus, prima eius, vbi ante coitum radios Solares ſubit, occultatio.*

Sicuti vterque matutinus vel veſpertinus eſſe poteſt, ita diſpar ſiderū magnitudo, inæquales motuum periodi, variata ſubinde latitudo, diſſimilis partiū Eclipticę in eodem Horizonte nunc rectior nunc obliquior aſcenſio & deſcenſio, varia deniq; Eclipticę ad diverſos Horizontes inclinatio: adeo incerta emerſionum & occultationum etiam eiuſdem ſideris tempora, & in ecliptica intervalla efficiunt, vt ſtatis definiri metis nequeant.

X *Si Luna ſua lux eſſet, quæ lumen effunderet, quod ſit efficax oculorum obiectum; in crepuſculis, valentiore Solis lumine aerem occupante, potius lateret, nocturnis tenebris efficacius luceret, & in viſum incurreret, ut reliqua ſideraenec tantum in proximis Novilunio diebus & quadraturis, etſi malignius, ſed etiam utrinq; gibba ante & poſt oppoſitionem parte opaca diſcerneretur.*

1. Luna præter fœneratum illud à Sole lumen, ſuam nativam & inſitam lucem non habet.

2. Quod in defectu ſuo diſcernatur, cauſa eſt, quia cum in umbra terræ tota deficit, rubet, pallet, aut livet, alioſq; colores induit, ex Solis radiis in vapido aere ad vmbræ latera refractis; è quibus, ſpecies luminis malignior umbram incurſans colores variat, prout à centro aut mucrone umbrę longius aut propius diſſita eſt.

3. Hinc eſt quod in vmbra altior aut lateribus propior rubeat, terræ vel umbræ centro vicinior nigreſcat, in mediis demū centri & mucronis umbræ diſtantiis pallear.

FINIS.